175

Sigismundus Primus Rex Poloniae
Achilli de Grassis Cardinali Bononien.

Reverendissime in Christo Pater
amice noster Charissime —

Ea quae nunc in rebus nostris necessaria videantur, ad Rndmum Dominum Cardinalem Rheginum Protectorem Regni nostri abunde perscripsimus, utque omnia cum P.te Vestra Rndma, communicato consilio, apud Sedem Apostolicam agat, admonuimus. Quam rogamus, ne deesse velit rebus nostris, de qua non solum id nobis pollicemur, sed etiam certi sumus eam satis, superque, tam Pruthenicae, quam Scithicae, et aliarum rerum nos urgentium, omnem seriem, anno superiore percaluisse. Ejusque studium et favorem, hisdem nostris promovendis, nunquam credimus esse defuturam. Nos enim, in eadem etiam sententia constanter permanemus, quemadmodum anno ipso superiore coram diximus. Nos vestrae P.ti in his, quae ad eandem augendam, et ornandam attinent, nusquam deesse velle, nec certe esse defuturos. Quae felix valeat —